

poribus, scilicet, tempore turbationis, & tempore litis contestationis: text. est in leg. 1. ff. *Uti possidetis*: text. in §. *Est igitur*, & in §. *Illud*. & in §. *Interdictum, ejusdem*, leg. text. in leg. 2. eodem titul. text. in leg. *Si duos*. §. *Creditorum, eodem titul.* Item etiam tempore litis contestationis: text. est in §. *Hodie*, *Inst. de interd.* ita & tenet Bartol. in leg. 1. §. *fin. colum. fin. n. 14.* uti possidetis. Plat. in §. *Sed interdicto*, *Institut. de interd. fin. colum. prope finem.* Angel. de Aret. in §. *Quadrupli, antepenult. colum. numer. 48.* Attende tamen singulariter, quod licet in specie non probet actor se possidere tempore contestatae, sufficit probare se possidere tempore turbationis, & sic ante ceptum iudicium; quia cum possessio saltem civilis, quae sufficit in hoc interdicto, retineatur animo, ut in leg. *Clam possidere*. §. *Qui ad nundinas*. ff. *de Acquir. posses.* illa praesumitur durare, nisi reus conventus probet actus per quos censeatur amissa possessio; argumento text. in leg. 3. §. *In amittenda*, & in leg. *Quemadmodum*, & in leg. *Peregrè*, & in leg. *Si de eo*, §. *Si fortè*, & eorum quae ibi notantur, eod. tit. & ita reperio quod in terminis tenet Hostiensis in cap. *Cum ad sedem, de restitution. spoliator.* 3. colum. num. 4. versicul. *Vel. dic.* Angelus de Aretin. in §. *Retinenda*, *Institut. de interd.* 3. colum. num. 4. licet aliter distinguat ibi Faber. 7. colum. num. 21. Similiter attende, quod licet actor non possit obtinere in hoc interdicto, si reus conventus probaverit quod actor non possidebat tempore litis contestatae; tantum illud intelligerem ego, ad hoc ut non pronuncietur possessor, nec condemnatur reus eum non molestare, sed bene obtineret in hoc quod condemnatur reus in interesse turbationis praeteritae, argumento text. in leg. 1. post princip. & in leg. *Si duo*, §. *fin.* ff. *Uti possid.* Sed hoc videtur mihi valde dubium: nam cum non competat interdictum, per quod veniat reus condemnandus in interesse, videtur quod non possit sequi condemnatio; argumento text. in leg. 4. *Cod. Depositi, cum simil.*

175 Item quinto & principaliter quaero: Quis sit effectus, virtus, & natura hujus interdicti, & qualiter debeat ferri in eo sententia? In quo breviter dico, quod si ex parte actoris reperiantur probata ea quae supra diximus, iudex in sententia pronuntiabit actorem possidere fundum vel rem super qua est controversia: ita probat text. in leg. 1. in princ. ff. *Uti possidetis*: text. in §. *Est igitur*, & in §. *Illud*, & in §. *Interdictum, ejusdem leg.* facit text. in leg. *Ex diverso*. §. *Ubi autem*, in princ. ff. *de Rei vend.* & ibi DD. text. in leg. *Pomponius*, §. 1. ff. *de Procur. text. in leg. Secuti*. §. *Sed si queratur*. ff. *Si servi-*

*tus vendicetur.* Praeterea & secundò condemnabit reum ut à molestia praesenti desistat. Item & tertio, quod in futurum eum non molestet. Item & quarto condemnabit eum in interesse molestationis praeteritae: ita probat text. in dict. leg. 1. in princ. ff. *Uti possid.* text. in leg. *Si duo*, §. *fin. eodem titul.* text. in leg. *unic. Cod. Uti possid.* text. in §. *Retinenda*, *Institut. de interd.* text. in cap. *Licet causam*, in fin. *de probat.* ita etiam tenet Bart. licet non tam perfecte in leg. *Si duo*, 2. colum. num. 4. ff. *Uti possid.* Angel. in §. *fin. ejusdem leg.* in fin. Item & quinto condemnabit eum ut praestet satisfactionem, quod in futurum ipse, nec haeredes, vel successores ejus eum molestabunt, secundum quod supra proximè dixi.

Attende tamen pro declaratione supra dictorum, quod illud quod supra dixi, quod reus debet condemnari in interesse turbationis praeteritae, debet intelligi ut aestimetur quanti interest actoris possessionem retinere, & non esse turbatam: ita expresse determinat text. in leg. *Si duo*, §. *final.* ff. *Uti possid.* ibi: *Sic accipimus quanti uniuscujusque interest possessionem retinere*, & ibi tenet Gloss. ordinaria, in verb. *Retinere*, & in glos. fin. versic. *Non tamen dico*, & ibi DD. probat etiam text. in leg. 1. §. *Hac verba*. ff. *Ne vis fiat.*

176 Item adde, quod tantum reus debet condemnari in interesse turbationis praeteritae, si petatur ab actore infra annum, computando à tempore turbationis usque ad tempus litis contestatae; nam postea non poterit petere, quia imputandum est actori qui tanto tempore negligens fuit: text. expressus in dict. leg. 1. vers. 1. ff. *Uti possidetis*, cujus verba sunt, *nec plurius quam quanti ea res erit intra annum, quo primum experiendi potestas fuerit agere permittant*, & intelligo de anno utili, cum sit remedium praetorium, ut probat ibi text. *dum dicitur quo primum experiendi potestas fuerit*, &c. & tenet ibi Din. Alberic. Ang. & DD. idem Angel. in leg. *Si duo*, §. *fin. eod. titul.* Quod tamen singulariter intellige isto modo; nam pro turbatione praeterita & interesse ejus non potest actor agere nisi infra annum; & ita procedit ille textus, & communis opinio: Sed pro sequentibus turbationibus, à tempore quarum annus non est lapsus, semper & perpetuo poterit agere, quia turbatio semper instat: ita expresse tenet & declarat ibi Gloss. ordinaria in verb. *Nec plurius*, & ibi Bartol. *final. col. in fin. vers. Ulterius dicitur hic tenet etiam & notabiliter declarat ibi Alberic.* 3. col. in fin. Ang. ibi in fin. versicul. *Conclude*, &c. idem Angel. in leg. *Si duo*, §. *fin. eod. tit. in fin.* Rosfred. in *Libellis suis*, in titul. *de Interdict.* *Uti possid.* 4. col. num.

numer. 7. ita etiam tenet & declarat Alberic. in leg. *Prætor ait*, §. *fin.* ff. *de Opert. nov. nuntiation.* Nec obstat quod interdicta rei prosecutoria sunt perpetua, ut in leg. *penult.* ff. *de Interd.* Quia verum est quando aliquid pervenit ad reum conventum: secus aliàs, ut in nostro casu; quia tunc sunt annalia, ut dicit ibi text. & tenet & declarat Angel. & DD. in dict. leg. 1. versicul. 1. ff. *Uti possid.* Ex quibus inferitur, quod si per decem annos me inquietasti in mea possessione, quod non condemnabit te iudex in interesse turbationis novem annorum praeteritorum, sed solum in interesse ultimi anni, & ut desistas nunc & in futurum me turbare & molestare: & in specie ita declarat Alberic. & Angel. in dict. leg. 1. versic. 1. Inferitur etiam & secundò declaratio ad Glossam notabilem & communem opinionem in leg. *Clam possidere*. §. *Qui ad nundinas*. ff. *de Acquirenda possession.* ubi habetur, quod si ego habeo civilem possessionem, tu verò naturalem; quo casu possum agere hoc interdicto ut restituas mihi naturalem possessionem, sine qua semper dico turbari; quod procedat respectu condemnationis & restitutionis; secus verò respectu interesse annorum praeteritorum, quia in illo non potest reus condemnari.

Item adde, quod istud interesse, quod actor petit pro ista vi turbativa seu inquietativa, potest probare solo suo juramento in litem, quando dolo fuit adhibita molestia per reum; secus si culpa, ignorantia, vel ex alia causa: istam doctrinam & conclusionem colligo ex text. cum Gloss. notabili in leg. *Semper*. §. *In hoc interdicto*. ff. *Quod vi aut clam*, in verb. *Juraverit*, ubi dicit text. quod si quis aedificavit in re vel fundo alicujus clam, potest actor virtute illius interdicti petere destrui opus, & sibi solvi interesse, quod potest probari juramento actoris: & dicit Gloss. *si dolo fecit opus, secus si culpa*: ex qua Gloss. colligit Angel. de Perus. ibi regulam notabilem, quod si actor agit pro quacumque violentia expulsiva vel inquietativa, turbativa vel compulsiva contra reum dolosum, interesse potest probari per suum juramentum in litem: & in expresso istam conclusionem tenet Innoc. per text. ibi in cap. *fin. Quod metus causa* 1. col. num. 3. & per Gloss. in dict. leg. *Semper*. §. *Hoc interdicto, quod vi aut clam*, & ibi tenent communiter DD. tenet etiam notabiliter Salycet. in leg. *Si quando*, *Cod. Unde vi*, 2. colum. 5. quæst. in princ. & in expresso istam conclusionem tenet Glos. in leg. *Si duo*, §. *fin.* in glos. 1. ff. *Uti possid.* Item adde, quod si virtute hujus interdicti reus sit condemnatus, & fortè postea molestatur & inquietatur, actor poterit petere executionem sententiae contra eum pro damno & interesse

molestiae, & pro poenis contentis in sententia: Et hoc fundatur tali ratione: quia cum virtus hujus interdicti, & sententia in eo lata respiciat tempus futurum & molestiam successivam, ut supra conclusum est, sequitur quod pro futura molestia potest sententia executioni mandari, aliàs quolibet die & hora oporteret litigare de novo. Confirmatur etiam per textum singularem in proposito in leg. *Inter Castellanos*. ff. *de Arbitris*, ubi est casus secundum communem intellectum, quod in his quae habent causam successivam non sufficit ab initio factum vel impletum, nisi perseverantia subsequatur & continuatur: & ad hoc notat ibi Bartol. Bald. Alb. & communiter DD. & in specie ad hoc notat illum text. Bald. in leg. *Sed & si possessori*. ff. *de Jurejur.* 2. colum. in princ. ubi dicit, quod quando poena accedit sententiae in iudicio reali vel mixto, non liberatur à poena qui semel obtemperavit, nisi perseveret: facit etiam text. in leg. *Corruptionem*. *Cod. de Usufruct.* juncta communi sententia, ubi habetur, quod in servitutibus, ex eo quia non potest dari perfecta traditio, requiritur patientia successiva ex parte debitoris, & dicitur impedire servitutem & in poenam incidere si aliquo tempore resistat.

177 Praeterea juxta hoc in nostra materia quaero de utili & subtili quaestione, si actor egit hoc interdicto *uti possidetis*, & reus fuit absolutus, & post sententiam incipit reus molestare actorem, an actor possit iterum agere hoc interdicto contra reum absolutum, dicens quod de novo turbatur? & an reus possit cum repellere exceptione rei judicatae virtute sententiae absolutoriae latae? Et videtur quod, non obstante sententia, actor possit iterum agere, quia ista nova turbatio debet esse causa hujus interdicti proponendi; sicut diximus in rei vindicatione, quod ex nova possessione datur rei vindicatio contra semel absolutum: text. est in leg. *Procurator ad exhibendum*. ff. *Rem rat. haber.* text. in leg. *Si rem meam*. ff. *de Except. rei judic.* text. in leg. *Si quis ad exhibend.* eod. tit. text. in leg. 3. *Codic. ad exhibend.* text. in leg. *Sed & si postea*. ff. *de Noxa*. Contrarium tamen videtur, quia hoc remedium possessorium *uti possidetis* competit actori ratione possessionis, & ista praesumitur eadem & continuata; unde pro eadem videtur nunc istud remedium intentari, & sic videtur ob stare exceptio rei judicatae, cum super eadem re, causa, & inter easdem personas sit lata: argumento text. in leg. *Cum queritur*, cum leg. *sequenti*, & ff. *de Except. rei judic.* & in leg. *Qui jurasse*. §. *Si pater*. ff. *de Jurejurand.* Sed pro vera doctrina & resolutione in hac quaestione dico, quod si sententia absolutoria pro reo est la-

lata, ex eo quia non turbavit actorem prout in hoc interdicto requiritur, & nunc incipit turbare post sententiam absolutoriam latam; tunc optimè potest actor de novo agere contra eum ratione novæ turbationis; nec obstabit ei exceptio rei judicatæ; quia cum ista sit nova causa & turbatio, & novum agendi principium, meritò datur & competit actori istud remedium & interdictum *uti possidetis*, & tunc actor debet esse cautus, ut probet turbationem esse factam post sententiam. Si verò sententia absolutoria est lata pro reo, ex defectu possessionis ipsius actoris; quia iudex absolvit ex eo quod actor non possidebat, vel absolvit quia deficiebat sibi qualitas justificata possessionis in hoc remedio requisitæ, ut quia possidebat clam, vi, vel precario ab adversario, & sic à reo absoluto; tunc actor iterum non poterit agere, quia obstat exceptio rei judicatæ, nisi velit agere ex nova possessione, vel ex nova causa & qualitate possidendi, per quam prima qualitas possidendi mutata sit: argumento text. in leg. 3. §. *Illud*, & in leg. *Qui bona fide*, §. 1. ff. de *Acquirenda possessione*. & in leg. *Non solum*, §. 1. ff. de *Usucap.* & in leg. 2. §. *fin.* ff. de *Usucap. pro emptor.* & in leg. *penult.* & *fin.* ff. *Si pars hered. petat.* & in leg. *Cum nemo*, cum materia, *Cod. de Acquir. posses.* & in leg. *fin. in princ.* ff. de *Precario*. Si verò nulla causa absolutionis fuit posita in sententia, vel causa est dubia, quia iudex dixit: *Absolvo reum, quia actor non probavit*: tunc similiter obstat exceptio rei judicatæ, quia debet intelligi de omni causa quæ incumbere actori probari: ita singulariter & in specie solus Bald. licet sic non declaret, in cap. *Cum super de caus. pos. & propr.* 2. column. num. 8. Intelligo tamen istum finalem articulum & conclusionem, nisi ex actis possit apparere causa ex qua sententia absolutoria fuit lata: argumento Glos. singularis in l. *Si quis ad exhibendum*. ff. de *Except. rei jud.* quam ibi sequuntur Bartol. & communiter DD. & dicit singulariter Bald. in leg. *Præcedente*; & secundum istam distinctionem, debet intelligi Faber. in §. *Retinenda*, 10. column. num. 31.

178 Item in materia nostra principaliter quæro; si hoc iudicio & remedio possessorio intentato, uterque litigantium dicit & præterit se possidere, & probat possessionem, & petit ab alio non molestari vel inquietari, & petit alia, de quibus *suprà*: Qualiter iudex debeat tali casu proferre sententiam, & quis eorum veniat condemnandus, vel absolvendus? Et iste articulus est valde subtilis, dubius, & quotidianus: in quo resolutivè pono veras & magis communes conclusiones.

Prima conclusio: Si uterque possidet justè, diverso tamen titulo respectu possidendi, ut proprietarius & usufructuarius, & unus turbat alium; tunc quilibet poterit agere hoc interdicto: ita probat text. in leg. *Si duo*. ff. *Uti possidetis*, & ibi Bartol. in *princip.* & melius in 2. col. versic. *Si constaret*, Alberic. Angel. Rainer. & communiter DD. text. in leg. *fin.* versic. 1. *eod. titul.* ibi: *Et si alter usumfructum, alter possessionem sibi defendat*, & ibi expressè tenet & notat Glossa ordinaria, Bartol. Alberic, qui legit illam l. in §. *Præcedenti*, Angel. & Rainer. communiter DD. Gloss. notabilis ordinaria quæ benè declarat in cap. *Licet causam, de probat. in verb. Uti possidetis*, post *princ.* & ibi Innocent. *penult. column. prope finem.* Hostiens. *penultim. column. num. 67.* Abb. *antepenult. col. num. 36.* Gloss. in leg. *unic. Cod. Uti possidetis*, in verb. *Prohibebit*, post *princ.* & ibi Jacob. Butr. *fin. col. in princ.* Cin. *pen. col. in fin. vers. Secundo casu.* Bartol. *fin. col. in princ.* Alber. *pen. col. in med.* Salyc. *penult. col. post princ.* Rosied. in *Libellis suis*, in *titul. de Interdicto utrobi*, 2. col. in *fin.*

Secunda conclusio: Si uterque probat se possidere in solidum, eodemque jure possidendi, tamquam verus dominus rei, sed unus probavit per plures vel meliores testes; ille tantum debet obtinere in hoc interdicto? Et intelligo meliores testes, secundum qualitatem & dignitatem personarum, vel secundum verisimilem depositionem & rationem testium secundum naturam & qualitatem negotii, argumento textus notabilis in leg. *Ob carmen*. §. *fin.* ff. de *Testibus*, ibi: *Si verò ex his quidam eorum aliud dixerint, licet in pari num. credendum est secundum quod natura negotii convenit*, & ibi: *Et que rei aptiora & vero proximiora esse compererit*, & ibi notat & reputat solemnem in materia nostra turbatæ possessionis Bartol. Odofred. Bald. Salycet. Jacob. de S. Georg. & communiter DD. text. in leg. 3. §. *Ejusdem*, ibi: *Alias numerus testium, alias dignitas & autoritas, eodem titul.* & in expresso istam conclusionem tenet Bartol. in *dict. leg. Si duo*, 2. column. versicul. *Quandoque uterque, &c.* idem Bartol. in leg. *unic. Cod. Uti possid. fin. column. post princip.* Jacob. Butr. notabiliter *fin. column. post princ.* idem Jacob. Butr. in leg. *Incerti*, *Codic. de Interdictis*, 3. column. post *medium*, Salyc. in *dict. leg. unic. Cod. Uti possid. penult. column. in medio.* Bald. in leg. *Ordinarii*, *penult. column. in princip.* *Cod. de Rei vend.*

Tertia conclusio: Si uterque probat se possidere in solidum, eodem jure possidendi, tamquam verus dominus rei, & uterque probat per testes æquales numero & dignitate, sed unus probat de possessione antiquiori quàm alius; ille

de-

debet obtinere, quia secunda possessio præsumitur clandestina vel vitiosa, cum duo insolidum non possint possidere: istam conclusionem probat textus notabilis & capitalis in materia in cap. *Licet causam de probat.* versicul. *Ex præmissis*, & ibi Anton. 10. column. n. 48. & alii DD. & per illum textum istam conclusionem tenet Bartol. in leg. *Si duo*. ff. *Uti possid.* 2. column. versic. *Si verò testes*, idem Bartol. in leg. *unic. Cod. Uti possid. fin. column. post princ.* Jacob. Butr. ibi, *fin. col. post princ.* Cin. *penult. column. in fin.* Angel. *fin. column. in medio.* Salyc. *penult. column. in medio.* Jacob. Butr. in leg. *Incert. juris*, *Cod. de Interdict.* 3. column. *prope finem.* Bald. in leg. *Ordinarii*, *Cod. de Rei vendic. penult. column. in princip.* Albert. in leg. *Si de vi penult. column. in princ.* ff. de *Judiciis*.

Quarta conclusio: Si uterque probat se possidere in solidum eodem jure possidendi, tamquam verus dominus, per testes æquales numero & dignitate, & similiter probant de æquali tempore possessionis, & tamen unus ostendit & probat titulum justum suæ possessionis, alius non; ille debet obtinere, quia censetur habere potiora jura: text. est notabilis & expressus in d. c. *Licet causam de probat.* vers. *Ex præmissis*, & ibi notant DD. & per illum text. tenet Bart. in d. l. *Si duo*. ff. *Uti possid.* 2. column. vers. *Sed si uterque.* Idem Bartol. in leg. *Una*, *Cod. Uti possid. final. column. in medio.* Jacob. Butr. *fin. column. in med.* Jacob. Butr. in leg. *Incerti*, *Cod. de Interd.* 3. col. in *fin.* Bald. in leg. *Ordinarii*, *Cod. de Rei vend. penult. column. in princip.* Alber. in leg. *Si de vi penult. column. in princip.* ff. de *Judic.* Ex quo subtiliter nota, quod licet in isto iudicio & remedio possessorio non requiratur aliqua probatio proprietatis, quia causatur à sola possessione; tamen bene roboratur & fortificatur ex ipso titulo proprietatis, cum titulus proprietatis inducat in hoc iudicio prælationem & victoriam data paritate probationis: ita subtiliter Bald. in leg. *Incerti*, *Cod. de Interdict.* 6. column. n. 14. & ante eum voluit Bartol. in leg. *Una*, *Cod. Uti possid. fin. column. in medio.* Jacob. Butr. in *dict. leg. Incerti*, *Cod. de Interd.* 3. column. in *fin.* voluit etiam Ant. & But. in *dict. cap. Licet causam de probat.* 10. column. num. 45. Item adde, quod ex hoc notabiliter infertur, quod si partes probarent æqualiter de possessione, & similiter probent titulum, tamen una ipsarum probet de antiquiori titulo; illa præfertur & debet obtinere, quia præsumitur quod ei fuerit prius tradita possessio, argum. text. in d. c. *Licet*, & in specie ita singulariter tenet Alexand. in *dict. leg. 1. Cod. de Edict. divi Adrian. toll. in princip. num. 2.* & Anton. Gomez, ad *Legem Taur.*

confirmatur ex sententia Jacob. de Aret. Cin. & aliorum in leg. *Quoties*, *Cod. de Rei vend.* ubi dicunt, quod si plurib. sit res vendita, & utriusque tradita, & non appareat cui prius, præsumitur prius tradita primo emptori.

Quinta conclusio: Si uterque probat se possidere in solidum eodem jure possidendi, tanquam verus dominus, per testes omnino æquales numero & dignitate, & de æquali tempore possessionis, & nullus eorum probat titulum suæ possessionis, vel uterque ostendit & probat æqualem titulum: ista est valde subtilis & dubia quæstio, in qua reperio aliquas diversas opiniones: Prima est, quod iudex simpliciter pronuntiet eos possessores, dicendo, *uti possidetis ita possideatis*: & sic uterque obtineat, argumento text. in leg. *Si duo in princip.* ff. *Uti possid.* ubi, si plures possident, quilibet defenditur in possessione per hoc interdictum. Sed ista opinio apertè est falsa: quia text. in *dict. leg. Si duo* loquitur eo casu quo plures possident diverso jure possidendi, ut in casu primo concludo; unde meritò quilibet defenditur in sua possessione: in nostro vero casu uterque præterit possidere in solidum eodem jure possidendi; unde cum hoc videatur impossibile, ut in leg. 3. §. *Ex contrario*. ff. de *Acquir. poss. cum similib.* non debet sic ferri sententia. Confirmatur etiam, quia sequeretur quod partes venirent ad arma, quod iudex debet evitare, ut in leg. *Æquissimum*. ff. de *Usufruct. cum materia*, & ista consideratione istam opinionem reprobat Bartol. in *dict. leg. Si duo*, 2. column. *prope fin.* ff. *Uti possid.* & Gloss. ordinaria in *dict. cap. Licet causam, de probat.* in verb. *Uti possidetis*, in *medio.* Secunda opinio est, quod sortè dirimatur cui sit adjudicanda possessio: & ille defendatur in possessione, & alius intentet iudicium petitorium rei vindicationis, argumento text. in leg. 3. in *princip. Cod. Commun. de Legat.* text. in leg. *In tribus*, cum *sequent.* ff. de *Judic.* text. in leg. 5. ff. *Famil. erisc.* text. in l. *Generaliter* §. *Proinde*, versic. *Quis ergo*. ff. de *Fideicom.* & istam opinionem tenet Gloss. ordinaria in cap. *Licet causam, de probat.* in verb. *Uti possidetis*, in *fin.* & ibi Hostien. *pen. column. prope fin.* & dicit hoc esse justius, & quod per consuetudinem approbatur: idem etiam tenet ibi Joann. Andr. *fin. column. prope fin.* Felin. *penult. column. in fin.* qui dicit hanc esse magis communem opinionem. Sed ista opinio etiam est falsa, quia iudicium sortis numquam habet locum, quando vertitur dubium super facto, sed tantum quando est dubium super jure: ista est Gloss. reputata singularis in leg. *Una*, *Cod. Uti possid.* in verb. *Prohibebit* in *fin.* quam dicit singularem Inol. in leg. *Hujusmodi*, §. *fin. de Legat. 1.*

& ibi Alexand. 2. column. & melius Jas. 3. col. num. 12. Idem Jas. in leg. 3. Cod. Commun. de Legat. 1. column. in fin. & per istam rationem istam opinionem reprobatur Gloss. in dict. leg. Una, Cod. Uti possid. Bartol. in dict. leg. Si duo. ff. Uti possidetis, 2. column. in fin. Item etiam, quia iudicium sortis numquam habet locum nisi in casibus à jure expressis, ut in dictis iuribus notatur. Tertia opinio est, quòd in tali dubio casu iudex nullam debet proferre sententiam inter partes, sed abstinere se debet à iudicando, prohibendo eos non venire ad arma, & qui velit, intentet petitorium: istam opinionem tenet Gloss. ordinaria in dict. leg. unic. Cod. Uti possid. in verb. Prohibebit, versic. Secundo casu, & tenet ibi Azor. in Summa illius tituli. penult. column. in fin. num. 22. Jacob. Butr. fin. column. in med. Cin. fin. column. limitans hoc esse verum quando uterque agit: secus verò si unus eorum; quia tunc alter absolvetur actore non probante. Joan. Faber. ibi in suo Breviario, penult. column. in fin. Alber. penult. column. in fin. Bald. penultim. column. in med. Angel. final. column. prope finem. Salycet. penultim. column. prope finem. Faber. in §. Retinenda, Institut. de Interdictis. 10. column. num. 29. Rosfred. in Libell. suis, in titulo de Interdictis. utrobi. 2. column. n. 3. & dicit ita tenere dominum suum Rogerium: istam etiam opinionem tenet Cardin. in cap. Licet, de probat. fin. column. in fin. Imol. 5. col. num. 28. Specul. in tit. de Petitorio & possessorio, 7. column. num. 32. versic. Et nota. Quarta opinio est, quòd in isto casu, data omnimoda paritate probationis, iudex pronunciet utrumque possessorem illius rei pro æqualibus portionibus pro indiviso, quia præsumuntur domini pro eisdem partibus: Pro qua sententia & conclusione primò facit, quia si duobus vel pluribus est relicta eadem res in solidum, faciunt sibi partes per concursum, & uterque habet æqualem partem in re: text. est in leg. Si pluribus. ff. de Legat. 1. text. in leg. 1. §. Si eadem res Institut. de Legat. text. in leg. 1. §. Interdum. ff. de Usufruct. accres. Secundò facit text. notabilis in leg. Si finita. §. Cum autem plures, ff. de Dam. infecti. ubi, quando plures, quibus debet cavere de damno infecto, mittuntur in possessionem domus ruinosa ex primo decreto, intelliguntur immissi æqualiter pro indiviso, & faciunt sibi partes per concursum. Tertio facit, quia quando res est divisibilis, & probationes sunt omnino pares, dividitur inter eos; argumento text. in cap. Afferte, de Prescription. & tenet Gloss. in cap. In nostra præsentia, de testibus in glos. magna in medio, & ibi DD. ita ergo sit in nostro casu, quia si isti possessores æqualem titulum ostendunt, videntur habere rem & possessionem pro parte; si verò nullum titulum ostendunt, saltem videntur habere titulum de jure gentium, quasi occupaverint rem vacantem, quæ in nullius bonis erat: unde merito unusquisque dicitur habere æqualem partem in re, & æqualiter & communiter possidere pro indiviso: & hoc casu, si quis eorum velit intentare petitorium contra alium, poterit facere, cum ista sententia tantum feratur in possessione: Istam conclusionem & opinionem in hoc dubio passu ponit expressè & magistraliter Bartol. in dict. leg. Si duo. ff. Uti possidetis, fin. column. idem Bartol. in leg. unic. Cod. Uti possid. fin. column. in medio. Angel. de Aretin. in §. Quadrupli, penult. column. in fin. Institut. de Action. Plat. in §. Retinenda, Institut. de Interdictis, fin. column. in princip. & ante Bartol. & istos DD. istam opinionem tenuit Vincent. in in cap. Licet causam, de probat. quem ibi refert Abb. penult. col. num. 37. & istam opinionem tenet & sequitur ibi Abbas: & ista opinio esset servanda in iudicando & consulendo tanquam æqua & benè fulcita: Et ista eadem quæstio & decisio potest esse in re mobili; & si quæras quomodo possint duo probare se possidere rem mobilem? vide notabiliter Rosfred. in Libell. suis, in titulo de Interdictis. utrobi. fin. quæst. num. 7.

Et ex his potest inferri ad novam quæstionem: Si plures pretendant esse domini & possessores alicujus equi, vel animalis, & uterque petit & vindicat à tertio detentatore, & probat dominium & possessionem, quid faciet iudex? vide singulariter & melius quam alibi in jure Paris. de Put. in tractat. Syndic. fol. 214. in verb. Probatio, in princip. ubi dicit, quòd ab alio ista quæstio non est tacta: ubi tenet, quòd ex aliquibus conjecturis una probatio præfertur alteri; putà si sit equus vel animal, quòd liberè dimittatur, & accedat ad domum unius & non alterius, argumento leg. 3. §. Eiusdem. ff. de Testibus cum simil. & in §. Pavonum, Inst. de rerum divis. sed ista non videtur concludens probatio, & fortè non vertitur lis super animali, sed super alia re, vel posset dirimi iudicio sortis, argumento leg. 3. §. 1. Commun. de legat. sed illud non habet locum nisi in casibus à jure expressis: Unde tenerem, quòd sententia feratur pro utroque, & inter eos dividatur, per supra dicta. Item etiam ex his potest inferri ad quæstionem difficilem: quando duo vel plures reperiuntur instituti ab eodem testatore in diversis testamentis ejusdem diei & horæ, quis eorum succedat? De quo vide suo loco. Item etiam inferitur ad difficilem quæstionem in articulo: Si duo vel plures prætendunt se possidere, an interim pendente iudicio possessorio uti possidetis, possit iudex

dex summarie cognoscere, ut ille qui melius probet interim defendatur in possessionem? De quo articulo vide infra istam leg. in fin.

Interdictum verò recuperanda possessionis competit possessori per vim dejecto à sua possessione rei immobilis pro ea recuperanda, & vocatur Unde vi: text. est in leg. 1. versic. 1. ff. de Vi & vi armat. cujus verba sunt, hoc interdictum proponitur ei qui vi dejectus est, etenim fuit æquissimum vi dejecto subvenire, propter quod ad recuperandam possessionem hoc interdictum proponitur. text. in leg. 2. & per tot. Cod. Unde vi, text. in §. Recuperanda, Institut. de Interdictis. Et hoc procedit, nedum quando quis possidet per se, verum etiam si per alium, ut colonum inquilinum, filium, servum vel alium: text. est in leg. fin. ff. de Vi & vi armat. cujus verba sunt, si colonus tuus vi dejectus est, ages unde vi interdicto: text. in leg. 1. §. Quod servus eod. tit. Et natura, virtus & effectus hujus interdicti est, quòd spoliatus restituatur in suam possessionem, & quòd adversarius condemnatur in omni damno & interesse quod spoliatus prætenderit, etiam si excedat valorem ipsius rei: text. est in leg. 1. §. Qui autem. ff. de Vi & vi armat. cujus verba sunt, qui autem vi dejectus est, quid damni senserit ad hoc quod vi dejectus est, recuperare debet, text. in §. Non solum, ejusdem leg. text. melior de jure in leg. In interdicto, eodem titulo. cujus verba sunt, in interdicto unde vi, tanti condemnatio facienda est quanti intersit possidere: & hoc jure nos uti Pompon. scribit: id est, tanti rem videri, quanti actori intersit: quod aliàs minus, aliàs plus: nam saepe actoris plurius interest hominem retinere, quam quantitas est; veluti cum

quæstionis habenda aut rei probanda gratia, ut hereditatis adeunda intersit ejus cum possiderea, facit etiam bonus text. in leg. Si quis uxori. §. Si servus qui surreptus. ff. de Furtis, text. in leg. 3. ff. de Condit. furt. text. in leg. Inde Neratius, in princ. ff. ad leg. Aquil. text. in §. Illud, Institut. de leg. Aquilia. (A)

Requiritur tamen ad hoc ut competat hoc interdictum, quòd dejectus possideat tempore dejectionis civiliter & naturaliter, vel naturaliter tantum, vel civiliter tantum: Unde ille qui tantum est detentator, non potest agere hoc interdicto: text. est in leg. 1. §. Dejectur. ff. de Vi & vi armat. cujus verba sunt, dejectur is qui possidet, sive naturaliter, sive civiliter possideat, & in fine dum dicit, non tamen si colonus sit, text. in §. Sive autem corpore, ejusdem leg. text. in §. Idcirco ejusdem leg. Et in possessione naturali exemplum est clarum, quòd evidenter quis potest ab ea deici: Sed in possessione civili videtur dubium; cum animus possidentis nullo modo videatur recipere violentiam: Sed subtiliter respondeo, quòd possessio civilis ex dispositione juris retinetur animo, quando potest liberè uti re, & uti possessione naturali: unde quando datur talis impotentia, merito & necessario debet amitti, quia deficit fundamentum in quo talis civilis possessio insistebat; & licet ipse civiliter possidens nolit animo desinere possidere, sua voluntas seu potestatio esset nullius momenti, tamquam contraria actui naturali & juris ordinationi; cum talis animus videatur fundari super impossibili: & in hoc consistit vera & subtilis ratio articuli hujus. Pro qua mea ratione facit bonus text. in leg. 3. §. Si quis autem, vers. Proinde

(A) Hoc autem interdictum recuperanda duplex est: unum de vi armata, quod de vi publica appellatur; alterum de vi privata vel de quotidiana, quæ sine armis inferitur, ut ex Cicerone in Oratione pro Cecinna, & lib. 7. Familiarum ad Trebatium. Observant Alciat. lib. 1. Parergon. cap. 34. Duaren. lib. 1. Disposit. cap. 20. Cujac. lib. 5. Sententiar. titulo. 6. versic. Vi dejectur. Robert. lib. 3. Sententiar. cap. 20. Menoch. de Recuper. remed. 1. ex num. 2. quod non obscure significat rubrica de Vi & vi armat. qua significatur in illo titulo agi de duplici vi, altera privata vel quotidiana altera armata & publica; de quarum prima agitur in leg. 1. de altera in leg. 3. ejusdem titulo. ideoque sub illo titulo duo contineri interdicta scribit Paul. Consultus in leg. 2. §. Recuperanda. ff. de Interdictis inter quæ duo interdicta singularis erat differentia, quòd interdictum de re privata & quotidiana, ei tantum dabatur qui possidebat, ut in leg. 1. §. Interdict. autem de vi & vi armata, interdictum de vi armata dabatur etiam creditori in possessionem misso, & colono, ut rectè probat Cujacius ubi supra: rursus etiam interdictum de vi quotidiana ei tantum competebat, qui ab adversario nec vi, nec clam, nec precario possidebat text. in leg. 1. §. Qui à me vi: interdictum de vi publica sine ulla acceptione dabatur etiam ei, qui à me vi, clam, vel precario possidebat, text. in leg. Sed si vi armata 14. ff. Et vi armata, quæ jura sic concilianda esse ex Cicerone, ubi supra, & Paul. dict. lib. 5. Sentent. titulo. 6. versic. Qui vi, observant Alciat. Duaren. & Cujac. ubi supra. Hujus interdicti causa constituti erant iudices qui reparatores appellabantur, ut docet Cicer. in dict. orat. pro Cecinna, quamvis pro aliis etiam causis reparatores dari consuevisse doceat Signorolus lib. 2. de Antiquo jure civium Romanorum, cap. 18.